



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Sacerdos sit sanctis. Ex Veteri. Ex Novo. Ex Patribus, & aliis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Nam ut apibus herbarum non sunt necessariae, sed flores herbarum; flores enim illae colligunt, herbas relinquunt: sic & vos flores doctrinae colligite, & conversationem relinquite; ut quasi inutilis herba arefeat. Author Imp. hom. 43. in Matth.

§. IV.

Sacerdos sit Sanctus.

Ex Veteri.

**N**ec quidquam est - quomodo ergo possum hoc malum facere &c. Gen. 39. 9. Dicebat Joseph dominae. Similiter dic Sacerdos: non est quidquam, quod non tradidit mihi Dominus in manibus meis, quomodo ergo in tam magnificum Benefactorem peccare poterō? Majora in manibus tuis, quam potuerit Putiphar in manibus Josephi. Diez. Conc. 4. in festo Corp. Chr.

*Expectate hic, donec revertamur ad vos.* Ex. 24. 14. Separavit Sacerdotes à populo; & postea ipsum Moysen intra nubem introire precepit. Vides divisiones? nihil in Sacerdotibus plebejorum requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, atque usu, & moribus in conditę multitudinis. Sobriam à turbis gravitatē, seriam vitam, singulare pondus, dignitas sibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat; si quae in se erubescit, in te, quem reverendum arbitrat, offendat? S. Ambros. ep. 6. ad Irenaeum.

*Tunica hyacinthina.* Ex. 28. 31. est Sacerdotum vita, quae tota debet esse caelestis. Hugo Card. in Ps. 131.

*Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus.* Levit. 1. 5. Addit Sacerdotes: ut in sola oblatione sanguinis, Sacerdotis dignitatem, & munus discerneret. Arcones in Il. 1. 5. Disc. 7.

*Introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiae tuae solius.* Ps. 70. 16. Ego ne ita abjectus sim, ut inter holocausta privatae utilitatis meminerim? ut delicias Sacramentis anteferam? in gazophylacio telonium cogitem? Oliiva tom. 1. conc. 2. in festo S. Luciae V. M.

*Sacerdos Domini Eliachim.* Judith. 4. 7. Nota honorem Sacerdotis Domini: quasi textus velit, esse Sacerdotes, qui nomen inane habeant. 1. Reg. 1. usque ad cap. 4. nusquam Heli vocatur Sacerdos Domini: nam indulgens liberis officium Pontificis deseruerat. Sacerdos enim Domini ille est, qui Deo adiectus ut servus, ac totus Dei homo. Inde nomenclatura nobilissima, *vir DEI, homo DEI.* 1. Reg. 2. 27. 4. Reg. 1. 9. S. Hieron. in Ezech. 18. homo peccati, & filius iniquitatis, non vocatur homo Dei; sicut servus, & famulus Dei; à quo enim quis superatus est,

*hujus & servus est.* 2. Petri 2. 19. Velloso hic.

*Mundamini, qui fertis vasa dmoim.* Il. 52. 11. Quanto mundiores esse oportet, qui in manibus, & in corpore, portant Christum? Blesensis ep. ad Richardum Londonensem Ep.

Ex Novo.

*Et spiritus S. erat in eo.* Luc. 2. 25. Laudat Simeonem: quia Christum erat in manibus gestaturus. Quam sanctus debet esse Sacerdos, qui Christum quotidie manibus tractat. Si DEUS Ex. 19. 10. precepit filiis Israel, ut lavarent vestimenta sua ad suscipiendam Legem; quanto major puritas requiritur ad suscipiendum in se ipsum legislatorem? Stella hic. Quaritur: an S. Simeon fuerit Sacerdos? negat Euthymius, Theophylactus, Janfenius, Barradius: quia cum S. Lucas eum tot titulis exornarit, non videbatur honorificum Sacerdotis nomen praetermissurus, si illi congrueret. Quod benedixerit Virgini, & Josepho; haec non fecit tanquam Sacerdos; sed ut vir magna auctoritatis; sicut Jacob Pharaoni benedixit Gen. 47. 10. Communis tamen, & vera sententia est, quod fuerit Sacerdos ex Aaronis filius. Ita D. Epiphanius, Cyrillus Hierosol., Athanasius, Nyssenus, Carthuf. Lyranc. Cajet. Quod Lucas Sacerdotis nomen tacuerit, non multum pugnat: quia etiam, ut tenet S. Hieron. cum communi sententia Graecorum Patrum, Job fuit Sacerdos; & tamen Sacerdotium ejus non explicatur; sed tantum dicitur: *vir erat in terra Huss, nomine Job.* c. 1. 1. Et eleganter Lucas in Simeone non exprimit dignitatem, sed virtutes: clarior enim erat animi dotibus, quam Sacerdotali praemiencia. Sylveira hic q. 17.

Ex Patribus, &amp; aliis.

Vestes Sacerdotis, virtutes significant; quibus debent Sacerdotes ornari, secundum illud Psalmi 131. 9. *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Innocentius III. P. de sac. alt. myst. I. 1. c. 9.

Induebat Sacerdos talarem: significans, quod debet induere perseverantiam Id. ib. cap. 16.

Provideat diligenter Episcopus, & attendat Sacerdos studiosè; ut signum sine significato non ferat; ut vestem sine virtute non portet: nè fortè similis sit sepulchro deforis dealbato. Id. ib. c. 63.

Grave est pondus Sacerdotii: prius quippe est Sacerdoti necesse, ut ceteris ad exemplum vivat; ac deinde servandum, ut mentem per ostensa exempla non elevet: de predicationis semper ministerio cogitet; intensissimò timore considerans, quod recessurus ad percipiendum Regnum Domini, & talenta servis distribuens, dicat: *negotiamini, dum venio.* Luc. 19. 13. Quod profectò negotium verè nos agimus, si vivendo, & loquendo, proximorum animas lucratur. &c. S. Gregor. l. 2. ep. 39.

li, qui

Ji, qui ad sanctissimum sacrificium veniunt, expiati esse debent etiam ab extremis animi visionibus; atque illius similitudine, quoad ejus fieri potest, accedere. S. Dionysius Areop. l. de coel. hier. p. 2. c. 3.

Clerici sacri Ordinis esse debent typus, & imago, caelestium. Episcopus quidem debet esse typus Dei: Presbyter tenere debet sedem, & locum, Seraphicum; Diaconus verò Cherubicum. Doctrina Nicæna de Clericis sacri Ordinis.

Quantâ inter sese differentiâ homines rationis usum habentes, & bruta ratione carentia, dissident; tantum sanè discrimen inter eum, qui pascit; atque eos, qui pascuntur, esse velim; ut nè majus etiam exigam. S. Chrysostr. l. 2. de Sacerdotio.

Quasi communis quidam totius orbis Pater Sacerdos est. Dignum igitur est; ut omnium curam agat, omnibusque provideat: sicut & Deus, cujus ministerio servit, & fungitur vice. Id. hom. 6. in 1. Timoth. c. 2.

Sacerdotem facit intelligentia; & vitæ, & morum, integritas, S. Nilus in paranesi.

Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos, qui sacri altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. Salvianus ad Eccl. Cathol. l. 2.

Dispensator divini verbi, & caelestis doctrinæ protogator, qui ante Dominum stat jugiter, versatur inter altaria semper, neque à Dei oculis recedit unquam: qui peccatorum causas, dolores populi suscipit, offert, ingerit preces; accipit, refert, restituit impetrata: ex homine totus in Angelum substitutus, non potest, nisi in ipsâ Dei facie, inter Sanctorum sancta, peccare: ut inde sibi sumat crimen, unde aliis veniam consueverat reportare. S. Chrysol. l. 26.

Hic est panis Sacerdotum, gloria Dei. Gloria Dei, ô anima sacerdotalis, panis tuus est. Si extra gloriam Dei aliquid quaeris, oblita comedere panem tuum, siliquis porcorum vesceris. Petrus Cell. de pane Mercenariorum c. 20.

Sacerdos, id est, sacer Dux, populum per bona exempla ad vitam æternam ducendo. Vel sacra dans. Vel sacra docens. S. Thom. Aqu. de S. Nicolao.

Verè humanâ voce explicari non potest, cum quanta devotione confici, cum quanta cautela dispensari, cum quanta devotione suscipi, debet corpus Christi. Blesens. ep. ad Richardum London. Ep.

Sacerdotem hoc sentire oportet, quod & in Christo Jesu: non solum, ut se per humilitatem exinaniat; sed, ut crucifixionem Domini representans, stigmata ejus portet in corpore suo; & in ara cordis seipsum Domino crucifigat. Id. ep. 123.

Considerandum est, quare populus differenti modò resalutat: non enim dicit, *Dominus sit tecum*, vel aliquid hujusmodi, sed dicit, *& cum spiritu tuo*: quia Sacerdos stans ante altare totus debet esse in spiritu: stans enim ad aram, nihil debet esse, nisi spiritus; & nihil sentiat. *Polyanth. Sacra, Tom. II.*

tire de corpore, vel sollicitudine sæculi. S. Albertus M. tr. 2. de Missa c. 2. lic. F.

Omnia, quanto plùs appropinquant suo principio, tantò sunt puriora, & perfectiora; sicut angeli præ corporibus caelestibus: sic rivulus propinquior fonti: sic, qui plus Christo appropinquant, sacerdotes. Broymard Sacerdos.

## §. V.

*Sacerdos sit castus.*

**A**Nte omnia sacerdos, qui divinis assistit altaribus, castitate debet accingi. Orig. hom. 4. in Levit. oportet omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse. S. Chrysostr. hom. 2. de pat. Job.

Qui Dominicum Corpus pollutis tractare manibus non veretur, crucifigentium JESUM particeps esse convincitur. B. Petrus Dam. opusc. contra inscitiam Clericor. c. 2.

Si mundis attingi manibus volebat positus in præsepio, quantam Corpori suo nunc vult adesse munditiam jam in paternæ majestatis gloria sublimatus? Et qui prædicator constitutus es castitatis, non te pudet servum esse libidinis? Veniet, veniet profectò dies, imò nox; quando libido ista tua vertatur in picem, quâ se perpetuus ignis in tuis visceribus in extinguibilibiter nutriat; & medullas tuas, simul & ossa, indefectivâ conflagatione defascat. B. Petrus Dam. ep. 6. ad Nicolaum II. P.

Qui puritatis auctori impurò corde, & corpore, ministrans, non verentur stare angelum Domini, qui fecerit medios, & disperdat; sed omnino audent agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in sanguine Salvatoris manus nefarias; quibus paulò antè carnes, proh dolor! meretricias attraxerunt. S. Bernardus de verbis Petri: ecce nos reliquimus omnia.

Sicut membra, quæ sunt in capite, si pulchra fuerint, cæterorum membrorum, quæ vestibus conteguntur, foeditatem excusant: ita & illi, qui per sacerdotalem honorem membra capitis Ecclesiæ esse noscuntur, plebis negligentia foeditatem suâ castitate decorant. Et è contrario, nihil tam deformè, tam abjectum, in Ecclesiæ corpore, nisi cum supradictis membris turpissima vita, vel fama, cernitur. Aponius l. 3. in Cant.

## §. VI.

*Sacerdotum aliæ virtutes.*

**S**Acerdos habebit pellem ejus. Levit. 7. 8<sup>o</sup> Pellis est symbolum patientiæ, ut patet Job<sup>o</sup> 2. 4. & 19. 20. quæ sacerdotis propria est virtus, & vestis. Ita Ifychius apud Cornelium hinc.

*Mille clypei pendunt ex ea.* Cant. 4. 4. Clypei arma sunt defensiva, non offensiva. Denotant: sacerdotes ad sacerdotium non esse vocatos, ut quem offendant; sed omnes defendant. Bessius Dom. 3. Pent.

*Arborem fici habebat quidam.* Luc. 13. 6. Quis agricola intercessor? audi S. Gregor. Nyss. Or. in mulierem peccatricem: alienus à cædendi acerbitate sacerdos esse debet; tanquam promptus, & paratus, ad excolendam humanitatem. *Eccc* *tatem*